

veritatis percult, non autem per poenitentiam ad vitam reduxit. Cum vero Ioannes Baptista Redemptoris gratiam praecurrens, poenitentiam praedicat, ut peccator qui ex culpa mortuus est per conversionem vivat, profecto a diebus Ioannis Baptistae regnum coelorum vim patitur. Quid est autem regnum coelorum, nisi locus iustorum? Solis enim iustus coelestis patriae praemia debentur, ut humiles, casti, mites, atque misericordes ad gaudia superna perveniant. Cum vero quis vel superbia tumidus, vel carnis facinore pollutus, vel iracundia accensus, vel crudelitate impius, post culpas ad poenitentiam redit, et vitam aeternam percipit, quasi in locum peccator intrat alienum. A diebus ergo Ioannis Baptistae regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud, quia qui poenitentiam peccatoribus indixit, quid aliud quam regno coelorum fieri violentiam docuit?

271 Recogitemus ergo, fratres charissimi, mala quae fecimus, et nosmetipsos assidue lamentis atteramus. Haereditatem iustorum, quam non tenuimus per vitam, rapimus per poenitentiam. Vult a nobis omnipotens Deus talem violentiam perpeti. Nam regnum coelorum rapi vult nostris fletibus, quod nostris meritis non debetur. A spei ergo certitudine nulla nos malorum nostrorum qualitas, nulla quantitas frangat. Praestat magnam veniae fiduciam latro ille venerabilis, qui non inde venerabilis, unde latro; nam latro ex crudelitate, venerabilis ex confessione. Cogitate ergo, cogitate quam sint incomprehensibilia in omnipotenti Deo misericordiae viscera. Latro iste, cruentis manibus abstractus a fauce itineris, suspensus est in patibulo crucis; ibi confessus, ibi sanatus est, ibi audire meruit: *Hodie necum eris in paradiso* (LUC. XXIII, 43). Quid est

hoc? Quis tantam bonitatem Dei dicere quis aestimare sufficiat? De ipsa poena criminis pervenit ad praemia virtutis. Ideo autem omnipotens Deus electos suos in quibusdam lapsibus cadere permisit, ut aliis in culpa iacentibus, si toto ad eum corde consurgant, spem veniae reddat, et eis per lamenta poenitentiae viam pietatis aperiat. Exerceamus ergo nosmetipsos in lamentis, exstinguamus fletibus et dignis poenitentiae fructibus culpas quas fecimus; ad indulgentiam nobis tempora indulta non pereant, quia qui multos a suis iniquitatibus iam sanatos aspiciamus, quid aliud quam supernae misericordiae pignus tenemus?

Varia de Adventu, ex Granellos.
(COMMENT. HIST. IN BREV. ROM., 204.)

272 Quid ad huius diei Officium spectat, S. Gregorius in Homilia super Evangelium ostendit; Baptismo S. Ioannis peccata remissa non fuisse, sed ad eorum remissionem accipiendam per Iesu Christi Baptismum solummodo praeparavisse.

273 In quibusdam Romanis Ordinibus statio erat ad S. Petrum, atque Ordinationis tempore Papa Ecclesia ista exhibat, atque in Ecclesiam S. Andreae ad Ordinationem faciendam transibat, inde ad S. Petri Ecclesiam ad Missam absolvendam revertebatur, quia: *In hoc Altari (S. Petri) nulla Consecratio debet fieri, nisi de Romano Pontifice*. Ad Missam dicebantur primum duodecim Lectiones, unde Sabbatum istud duodecim Lectionum dies appellatum fuit; ante Ordinationem scilicet, quemadmodum totidem dicebantur et antequam baptizarentur Caethecumeni, et ante Fontium Benedicentem, quae Romae Sabbato Sancto adhuc leguntur. Verum Sabbato Quatuor Temporum duodecim Lectionum numerus ad sex contractus fuit; affirmatque Micrologus c. 42, olim sex tantum recitatas fuisse, atque cum Graece, et Latine recitarentur, duodecim ita existitisse: *Hoc Sabbatum quavis sex tantum habeat Lectiones, dicitur tamen duodecim Lectionum, eo quod antiquitus Lectiones bis legebantur, Graece videlicet, et Latine*. Amalaricus id ipsum iam ante adnotaverat l. 2, c. 1, atque, aetate sua idem Constantinopoli servatum fuisse, Berno Augustinus, qui saeculo undecimo vivebat, testatur Romae morem viguisse eam Graeco, et Latine recitandi; primas

pro Graecis, qui Officio aderant, neque Latine sciebant, alteras vero pro Latinis; unde credibile fit, sex tantum ut hodie existitisse, atque duodecim Lectiones appellatas fuisse, quod singulae bis legerentur Latine semel, atque iterum Graeco.

274 Inter sex istas Lectiones plerumque quinque ex veteri Testamento petita sunt, atque consuetudo Sabbato Quatuor Temporum servari solet, ut pro quinta eius diei Lectione liberatio trium puerorum e fornace Babylonica accipitur ad demonstrandum, iuxta Pseudo-Alcuinum, eos qui ordinandi sunt, tanquam pueros illos probatos esse debere. Adnotat quoque, non dici *Factum genua* ad Collectionem huius Lectionis, in eorum, quae de Nabuchodonosore perfecta fuerant, detestationem, qui Dei loco statuum suam adorari faciebat. Ad finem huius Epistolae non dicitur *Deo gratias*, quia gratiae Deo redduntur per Hymnum sive Graduale subsequenter, cui *Gloria Patri* et *Sicut erat* insertum est, eo pacto quo Laudibus Dominicae ad calcem Cantici *Benedicite* additum fuit *Benedicamus Patri et Filium*. Adnotandum tamen est, doxologiam istam non exstare apud Prophetam Danielem, sed ab Ecclesia compositam et Officio suo insertam fuisse, quemadmodum et in Psalmis, aliisque Officiis sui cantibus facere solet.

275 Inter quintam et sextam Lectionem peragebatur longa atque molesta caeremonia ordinationis, quae a satis longa Litaniam incipiebat, postquam Episcopus sermonem atque hortationem faciebat, ceteras caeremonias in Pontificali designatas; ea de causa tota Sabbati nox insumebatur usque ad Dominicae initium; ea autem transacta, quarta scilicet vigilia, si incipiente iam Dominica ad postremam collectionem perventum esset, cum ea die genua flectere non liceat, *Factum genua* non dicebatur.

DOMINICA IV. ADVENTUS

LECTIO S. EVANGELII (ut heri).

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.

COMMENT. IN EVANG. LUC. CAP. 3.

276 **A** NNO quintodecimo, etc. Supra egit Evangelista de mysterio incarnationis Christi quantum ad natiuitatem in utero et ex utero; hic agit de ipso quantum ad natiuitatem extra uterum, secundum illud Ambrosii, quod dicit, illum renatum esse Sacramentis, scilicet quando baptizatus est. Et habet haec pars

tres, in quarum prima agit de baptismo et praedicatione Ioannis *in generali respectu totius populi*; in secunda vero, *in speciali respectu specialium personarum*, ibi: *Et interrogabant eum* etc.; in tertia, *in singulari respectu Christi*, ibi: *Et factum est, dum baptizaretur*. Et ordo patet, quia generale dirigit ad speciale, speciale ad singulare.

Quantum ad primum notandum, quod doctrina et praedicatione Ioannis commendatur a tribus: primo, a *temporis opportunitate*; secundo vero, ab *officii auctoritate*, ibi: *Factum est verbum Domini*, etc.; tertio vero, a *zeli severitate*, ibi: *Dicebat ergo ad turbas, etc.* Primum respicit quod est *extra*, secundum, quod *supra*, tertium, quod est *intra*. Et sic per omnem modum est eius praedicatione et doctrina perfecta.

278 Quantum ad primum notandum, quod *opportunitas temporis* colligitur ex tribus, scilicet ex *unione imperii Romani*, ex *partitione regni Iudaei* et ex *divisione sacerdotii levitici*; ex quibus colligitur opportunitas temporis, quia illum annuntiabat Ioannes, qui synagogam Iudaeorum dispergebat et gentium varietates in unitatem Ecclesiae congregabat.

279 Quantum ad unionem imperii dicitur: *Anno quintodecimo imperii Tiberii Caesaris*, in quo scilicet iam erat tempus adventus Christi, quia scilicet ante Tiberium fuit Iulius et Pompeius; et Iulius contrivit Pompeium, et post hos successit Tiberius. Et ita iam verificatum erat illud Danielis secundo de quarto regno, scilicet Romanorum, quod "fuit ex parte solidum et ex parte contritum"; et ideo erat tempus verificationis illius quod sequitur ibidem: "In diebus illis suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et potestas eius alteri populo non tradetur."

Quantum autem ad *partitionem regni* 280

Iudaici subditur: *Procurante Pontio Pilato Iudaeam*, sub quo scilicet Dominus est crucifixus, secundum quod narrat historia omnium Evangelistarum; *tetrarchia autem Galilaeae Herode*; iste fuit sub quo etiam Dominus crucifixus est, infra vigesimo tertio, et qui interfecit Joannem Baptistam, secundum quod dicitur Matthaei decimo quarto, quia dicebat ei: "Non licet tibi habere uxorem Philippi, fratris tui"; de quo Philippo additur: *Philippo autem, fratre eius, tetrarcha Ituraeae et Trachonitidis regionis*. Et ita iam verificatum erat illud Isaiae primo: "Regionem vestram coram vobis alieni devorant"; et Proverbiorum vigesimo octavo: "Propter peccata terrae multi principes eius". Et ideo subditur: *Et Lysania Abilinae tetrarcha*, id est alterius regionis, quae erat quarta pars regni. Tetrarchia enim dicitur quarta pars regni; dicitur enim a *tetra*, quod est quatuor, et *archos*, quod est principatus. Archelao enim, filio Herodis magni, propter superbiam suam in exilium apud Lugdunum deportato, regnum in quatuor tetrarchias est divisum, ut sic minueretur superbia Iudaeorum. Unde Beda: "Tres tetrarchias regebant tres filii magni Herodis, sub quo Dominus natus est. Pilatus vero procurator erat alterius tetrarchiae". Et nota, quod fuerunt duo Lysaniae, unus filius Hircani, de quo Iosephus; et alter Herodis, de quo Beda loquitur.

281 Quantum autem ad *divisionem sacerdotii* subditur: *Sub principibus sacerdotum Anna et Caipha*, qui, ambitione moti, ut dicit Beda, summum sacerdotium emebant a Romanis. Unde quia iam secundum Bedam et Iosephum sacerdotes non instituebantur per unctionem, sed per terrenam potestatem; ideo cessaverat unctio sacerdotalis et unctio regalis. Iam ergo tempus advenerat, ut

adveneret Christus, secundum illud Genesis penultimo: "Non auferetur sceptrum de Iuda", etc. — Item iam cessaverat unctio sacerdotii levitico, et ideo tempus erat, ut veniret "sacerdos secundum ordinem Melchisedech", ut impleretur illud Isaiae vigesimo secundo, quod dictum est de sacerdotio levitico et sacerdotio Christi: "Expellam te de statione tua et de ministerio tuo deponam te"; et post de Christo sub figura: "Et erit in die illa, vocabo servum meum Eliacim et induam illum tunica tua"; et infra: "Et ponam clavem David super humerum eius". In quo ostenditur, quod iste Eliacim debet esse *rex et sacerdos*, quod solum in Christo est impletum, qui fuit "sacerdos secundum ordinem Melchisedech", qui simul rex et sacerdos fuit, secundum illud ad Hebraeos septimo. Et quia "translato sacerdotio, necesse est, ut et Legis translatio fiat"; iam erat tempus Evangelii praedicandi; et in tali tempore a praedicatione Ioannis debuit Evangelium inchoari ac praedicari.

282 Patet igitur, quam sufficienter secundum Scripturas ostendit Evangelista oportunitatem in adventu Christi et praedicatione praecursoris, quod Iudaei caeci non viderunt. Ideo Ieremiae octavo: "Milvus in caelo cognovit tempus suum, turtur et hirundo et ciconia custodierunt tempus adventus sui; populus autem meus non cognovit iudicium Domini"; et infra duodecimo: "Hypocritae, faciem caeli et terrae probare nostis, hoc autem tempus quomodo non probatis? — Poterant autem hoc tempus cognoscere non solum per Scripturas, sed etiam per ipsas res in temporibus gestas, secundum quod dicit Gregorius: "Liquet, quod ad finem Iudaeae venerat, quae tot regibus divisa subiacebat". Et cum iam subiecti essent alieno im-

perio, iam tempus erat, ut Dominus regnum Israeliticum relevaret, quod promiserat omni modo stabilire in sempiternum. — Patet etiam, quam rationabiliter Evangelista, licet de sacerdotio Christi intendat, tamen regum et sacerdotum tempus enuntiat, ut ostendat, *Christi sacerdotium simul et regnum esse continentium*; et per utrumque probatur tempus adventus eius; et simul regnum *Iudaeorum et gentium*, quia utrumque simul venerat copulare in unum; item hoc divisum, et illud unum, quia gentium plenitudo debebat intrare et Iudaeorum multitudo dispergi propter peccatum incredulitatis.

Varia de Adventu, ex Grancolas.

(COMMENT. HIST. IN BRUV. ROM. 207-209).

283 DOMINICA haec aliquando *Dominica de Canite* appellatur propter primam Laudum antiphonam, quae *Canite est*, atque praeterea, quod lectiones ad primum Nocturnum ab Isaiae loco incipiebant, *Canite tuba*, quod hodie ad primum responsorium dicitur...

284 In alio Ordine Romano apud Thomas. p. 226, Dominica ista, *Dominica proxima Natalis D.* appellabatur. Pro invitatorio dicitur: *Vigilate animo, In proximo est Dominus Deus noster*: cetera Officio nostro valde similia sunt...

285 In Homilia commendat S. Gregorius, ut poenitentia peccatorum gravitati, et numero respondeat.

286 Hebdomada, quae Dominicam istam subsequitur, hebdomada praeparationis appellatur, quia tunc praeparatio instituitur ad Natalis Festum, sollemnique est in omnibus Ordinibus Romanis propter antiphonas proprias Laudum ad singulos dies, et propter Antiphonas *O ad Magnificat*. Observat Gavantus olim Rubricam fuisse, quae eius aetate Parisiis adhuc servabatur, ut si aliquod Festum in hebdomadam istam incidisset, post absolutas Feste Laudes dicerentur quoque Laudes de Feria cum Psalmis, et Antiphonis praedictis: at Pium V. Rubricam istam in aliam commodiorem mutari curasse; scilicet ut Antiphonae, quae in diem S. Thomae incidunt, in Sabbatum transferantur: et duplices istae Laudes ad Officium contrahendum suppressae sunt...

287 Tres extant in hebdomada ista Antiphonae, quae

ritum peculiarem habent. Prima est *Exspectetur*, quae semper Sabbato ante Natale ad Laudes dicenda est sub finem Cantici Moysis, quae ex Cantico illo sumpta est. Altera est *Nolite timere*, quae S. Thomae diei coniuncta est, sive 21 diei Decembris quatuor ante Natale diebus, quia ibi dicitur intra quinque dies Dominum apparitum. Antiphona ista adeo venusta Franciscanis Fratribus visa est, ut vel quater eam repeti curaverint, cum Romanum Breviarium emendarunt; verum Pius V. repetitiones istas abolevit. Tertia est *Eccc completa sunt* in supervigilio Natalis ad Adventus temporis finem, et Messiam proximae adventurum demonstrandum. Affirmare tamen possumus, duas hasce postremas Antiphonas ceteris fere omnibus Adventus antiphonis non respondere, quae ex Scriptura petitae sunt et praecipue ex Prophetia. Meminit Micrologus cap. 32, Antiphonarum *Nolite timere*, et *Exspectetur*.

In pluribus Ecclesiis Natalis supervigilio scilicet 23 Decembris, Vesperae sollemnes erant propter Antiphonam: *O Virgo Virginum, quomodo fiet istud, quia nec primam similem visa est, nec habere sequentem: Filiae Ierusalem, quid me admiramini, Divinum est Misterium hoc quod cernitis*. Campanae praeterea omnes pulsabantur, albae vestes, et incensum adhibebantur.

289 Graeci Dominica ante Natale commemorationem Adami et Evae celebrant, omniumque Iustorum veteris Testamenti, qui adventum Messiae ipsorum Liberatoris, a quo post Resurrectionem in coelestem gloriam introducendi erant, exspectarunt.

FERIA SECUNDA

Homilia S. Bonaventurae Episcopi.

COMMENT. IN EVANG. LUCAR. CAP. 3.

290 **E**ACTUM est verbum, etc. Hic commendatur Ioannis praedicatione ab officii auctoritate, quam primo commendat Evangelista ex se ipsa; secundo vero, ex *attestatione prophetica*, ibi: *Sicut scriptum est*, etc. — Quantum ad primum notandum, quod auctoritas Ioanni commissa commendatur a tribus, scilicet a *dono coelestis gratiae*, a *ministerium humilis obedientiae* et a *signo sacramentalis medicinae*.

Quantum ad *donum coelestis gratiae* 291

dicitur: *Factum est verbum Domini super Ioannem, Zachariae filium, in deserto. Factum est, scilicet per inspirationem supernam, et ideo dicitur: Super Ioannem; quia, secundae Petri primo: " Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines "*. Unde *super* significat auctoritatem, secundum illud Isaiae sexagesimo primo: " Spiritus Domini super me, ad annuntiandum mansuetis misit me. " Et ad hoc erat *dignus* ratione *domi divini muneris*; ideo dicitur: *Super Ioannem*, " in quo scilicet est *gratia* ", quia Sapientiae septimo dicitur, quod " sapientia in animas sanctas se transfert. " — *Dignus* etiam ex *merito patris*, et ideo dicitur: *Zachariae filium*; unde poterat sibi dici illud Tobiae septimo: " Benedictio sit tibi, fili mi, quia boni et optimi viri es filius. " — *Dignus* etiam ex *merito propriae virtutis*; unde dicitur: *In deserto*, in loco aspero et duro; Deuteronomii trigesimo secundo: " Invenit eum in terra deserta, in loco horrois. " etc.; et Osee decimo tertio: " Ego te cognovi in deserto, in terra solitudinis. " in qua terra consuevit fieri verbum Dei ad hominem, sicut ad Moysen; Exodi tertio: " Vocavit eum de medio rubi. " etc., quando " minavit gregem ad interiora deserti. " ; Osee secundo: " Adducam eam in solitudinem, et ibi loquar ad cor eius. "

²⁹² Quantum ad *ministerium humilis obedientiae* subditur: *El venit in omnem regionem Iordanis*. Unde Chrysostomus: " Venit Ioannes quasi magni regis praeparator et nuntius fidelis. " Et tunc impletum est illud Malachiae tertio: " Ecce, ego mitto Angelum meum, et praeparabit viam tuam. " Et signanter dicit: *In omnem regionem*, ut significetur vera obedientia, quae nihil excipit, sed ad omnia est prompta; Ieremiae primo: " Ad omnia, quae mittam te, ibis. " etc.

Quantum autem ad *signum sacramentalis medicinae* subditur: *Praedicans baptismum poenitentiae*, sicut dicitur Actuum decimo nono: " Ioannes baptizavit baptismum poenitentiae populum. " *Baptismum poenitentiae* vocat, quia ad poenitentiam informabat; Matthaei tertio: " Exhibat ad eum Ierosolyma et omnis Iudaea, et baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua. " Sed licet ad poenitentiam informaret, tamen remissionem peccatorum non faciebat, sed ad baptismum illum praeparabat. Et ideo subditur: *In remissionem peccatorum*, id est in baptismum Christi, in quo est remissio; unde Actuum secundo: " Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini nostri Iesu Christi in remissionem peccatorum. " Et de hoc dicebat Zacharias decimo tertio: " Erit fons patens domui David et habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris et menstruae. " ; et Ezechiel trigesimo sexto: " Effundam super vos aquam mundam, et mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. " etc.

²⁹⁴ *Sicut scriptum est*, etc. Hic commendatur auctoritas Ioannis ex *attestatione prophetica*, in qua Ioannes praedicans ostenditur habere officium *excitandi, commonendi et consolandi*. — Ostenditur, inquam, primo habere officium *excitandi per exclamationem*; et ideo dicitur: *Sicut scriptum est in libro sermorum Isaiae prophetae: Vox clamantis in deserto*; hoc enim scribitur Isaiae quadragesimo. Dicitur autem Ioannes *vox*, quia, sicut vox verbum praecit, sic Ioannes Christum; et *vox clamantis*, quia excitat dormientes, ut ad lucem evigilent, secundum illud Isaiae quinquagesimo octavo: " Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam. " ; et Iob trigesimo septimo: " Tonabit Dominus voce sua mirabiliter. " ; et non investigabitur, cum au-

dita fuerit vox eius. " Haec est vox, de qua in Psalmo: " Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit. " Unde Ioannes, Ioannis primo, respondit quaerentibus: " Ego vox clamantis in deserto. " *Vox* igitur est signum expressivum verbi; unde prophetiae aliorum fuerunt quasi *nutus* respectu Christi, sed Ioannis fuit quasi *vox* respectu Verbi, quia ipsum visibiliter ostendit.

²⁹⁵ Ostenditur etiam secundo habere officium *comonendi per excitationem*, cum subditur: *Parate viam Domini*, per observantiam scilicet *mandatorum*; Psalmus: " Viam mandatorum tuorum curri. " ; et Baruch tertio: " Si in via Dei ambulasses, habitasses utique in pace super terram. " *Rectas facite semitas eius*, per observantiam *consiliorum*; Proverbiorum quarto: " Viam sapientiae monstravi tibi et duxi te per semitas aequitatis, quas cum ingressus fueris, non arctabuntur gressus tui, et currens non habebis offencilum. " ; Isaiae vigesimo sexto: " Semita iusti recta, rectus callis iusti ad ambulandum. " etc.; Psalmus: " Dirige me in semitam mandatorum tuorum. " etc. — *Rectas facite, scilicet intentiones*; Iob primo: " Et erat vir ille simplex et rectus ac timens Deum et recedens a malo. " — *Cogitationes*; Psalmus: " Innocentes et recti adhaeserunt mihi. " ; et Ecclesiae septimo: " Hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum. " — *Affectiones*; Cantorum primo: " Recti diligunt te. " ; et Psalmus: " Quam bonus Israel Deus his qui recto sunt corde! " — *Locutiones*; Proverbiorum octavo: " Iusti sunt omnes sermones mei, recti sunt intelligentibus. " — *Actiones*; Proverbiorum vigesimo: " Ex studiis suis intelligitur puer, si munda et recta sint opera eius. " ; Iob octavo: " Si mundus et rectus incesseris, statim evigilabit ad te. " —

Passiones; Iob quarto: " Recordare, obsecro te, quis unquam innocens perit? Aut quando recti delati sunt? " — *Retributiones*; Proverbiorum undecimo: " Iustitia rectorum liberabit eos. " Est enim iustitia secundum Tullium " Constans et perpetua voluntas, ius suum unicuique tribuens. " — Qui per has rectitudines incedunt intelliguntur per illa animalia, de quibus Ezechielis primo: " Pedes eorum recti. " etc.

²⁹⁶ Ostenditur etiam nihilominus tertio habere officium *consolandi per promissionem*, cum subditur: *Omnis vallis, etc.*; in quo praedicat effectum adventus Christi respectu *humilium iustorum*, respectu *peccatorum* et respectu *universorum*. — *Quia exaltabit humiles*; propter quod dicitur: *Omnis vallis implebitur*, id est humilis; Psalmus: " Vales abundabunt frumento. " ; supra primo: " Exaltavit humiles. " ; infra decimo octavo: " Omnis, qui se humiliat, exaltabitur. " Huius figura, quarti Regum quarto, ubi Eli-seus implevit vasa vacua. — *Humiliabit superbientes*; propter quod subditur: *Et omnis mons et collis humiliabitur*; Isaiae quadragesimo quinto: " Ego ante te ibo et gloriosos terrae humiliabo. " ; Iob quadragesimo: " Respicens omnem arrogantem humilia. " — *Rectificabit deviantes*; propter quod addit: *Et erunt prava in directa*; Beda: Id est malorum corda per iniustitiam distorta erunt in directa, id est, ad regulam iustitiae dirigentur; Proverbiorum decimo sexto: " Revela Dominus opera tua, et dirigentur cogitationes tuae. " Hoc autem est contra hypocritas, qui a Domino abscondunt consilia sua; secundae ad Thes-salonicenses tertio: " Dominus autem dirigat corda vestra. " etc. — *Mitigabit tumultuantes*; propter quod dicit: *Et aspera in vias planas*, id est, mentes iracundae in mansuetudinem converten-

tur; Isaia undecimo: "Habitabit lupus cum agno, et pardus cum haedo accubabit; vitulus et leo et ovis simul morabuntur .."

297 *Illuminabit omnes accedentes;* propter quod adiungit: *Et videbit omnis caro salutare Dei,* id est de omni carne, ut fiat distributio pro generibus singulorum, secundum illud Psalmi: "Viderunt omnes fines terrae salutare Dei nostri .."; Isaia quadagesimo post verba praemissa subditur: "Et videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est ..". Sed quinquagesimo secundo dicitur: "Videbunt omnes fines terrae salutare Dei nostri ..". Et nota, quod idem ipse, qui est os vel *verbum* Patris secundum Deitatem, est *salutare* secundum humanitatem.

298 *Dicebat ergo ad turbas,* etc. Hic commendatur praedicatio Ioannis a *zeli* *severitate*. Et quia severitati debet adiungi pietas, ideo praemittitur *inrepatio*; secundo vero adiungitur *exhortatio*, ibi: *Facite ergo dignos fructus poenitentiae*; tertio vero subinfertur *comminatio*, ibi: *Iam enim securis ad radicem, etc. Inrepatio* est culpae, *admonitio* poenitentiae, *que comminatio* poenalis vindictae. — *Inrepatio* autem est de duobus, scilicet de *certa malitia culpae* et de *ignorantia* sive inconsideratione *poenae*.

Varia de Adventu, ex Honorio Augustodunen.
(DE ANTIQ. RITU MISSARUM, LIB. III, CAP. 3).

299 *SEPTEM* O admirando potius quam vocando cantantur, in quibus septem dona Spiritus sancti notantur, per quae haec administratur Incarnatio, et per quae Christus ab Ecclesia invitatur. Ipse quippe est *Sapientia*, in qua Pater fecit omnia, qui venit in spiritum sapientiae, docere nos viam prudentiae. Ipse *Adonni*, quod nomen Moysi indicavit, cui legem in Sina dedit, qui venit per spiritum intelligentiae, nos redimere. Ipse *Radix Iesse*, qui in signum populorum stetit, dum per signum crucis ubique adorari voluit: qui in spiritu consilii

nos liberare venit. Ipse *Clavis David*, qui coelum iustis aperuit, infernum clausit, et per spiritum fortitudinis victos de domo carceris educere venit. Ipse *Oriens et sol iustitiae*, qui venit nos illuminare spiritu scientiae. Ipse *Rex gentium* et lapis angularis, qui venit salutare hominem per spiritum pietatis. Ipse est *Emmanuel* veniens ad nos per Israel, qui venit ad salvandum nos per spiritum timoris, dans cunctis charismata amoris. Si duodecim *O* cantantur, tunc duodecim prophetae exprimentur, qui Christi adventum praedicasse leguntur.

FERIA TERTIA

Homilia S. Ambrosii Episcopi.

EXPOSIT. IN LUCAE CAP. 3.

CONGREGATURUS Ecclesiam Dei Filius, ante operatur in servulo. Et ideo bene posuit sanctus Lucas factum esse verbum Domini super Ioannem Zachariae filium in deserto; ut Ecclesia non ab homine coeperit, sed a Verbo. Ipsa enim est desertum, quia *plures filii desertae, magis quam eius quae habet virum* (Is. LIV, 1). Denique ipsi dicitur: *Lactare, sterilis* (Ibid.), et *Exsulta, desertum* (Is. LI, 9); quia nullis adhuc convenae plebis operibus colebatur neque ullum adhuc arbores illae, quae fructum ferre non poterant, meritorum suorum verticem praeferebant. Nondum venerat qui diceret: *Ego autem sicut oliva fructifera in domo Domini* (PSAL. LI, 10). Nondum vitis illa coelestis fructus palmitibus suis, verborum quodam suorum traduce, ministrabat. Factum est ergo verbum, ut quae erat ante deserta, fructum nobis terra generaret. Factum est verbum, vox secuta est; verbum enim prius intus operatur, sequitur vocis officium. Unde et David dicit: *Credidi propter quod locutus sum* (PSAL. CXV, 10). Prius creditur, ut loqui posset. Factum est autem verbum, ut sanctus 301 Baptista Ioannes poenitentiam praedi-

caret. Et ideo plerique sancto Ioanni typum legis imponunt; eo quod lex peccatum denuntiare potuit, donare non potuit. Lex enim unumquemque qui viam gentium sequebatur, revocat ab errore, restringit a crimine: poenitentiam suadet, ut gratiam consequatur. *Lex* (autem) *et Prophetiae usque ad Ioannem* (LUC. XVI, 16); Ioannes vero praenuntius Christi. Ita lex et Ecclesiae praenuntia, et gratiae poenitentia est. Bene itaque sanctus Lucas compendio usus est, ut Ioannem declararet prophetam, dicens factum esse super eum verbum Domini: alia non adderet; nullus enim eget indicio sui, qui verbo Dei abundat. Unum itaque dixit, et omnia declaravit.

302 At vero sanctus Matthaues et Marcus vestitu, et cinctu et cibo Prophetam declarare voluerunt; eo quod vestitum de pilis camelorum habuit, et zonam pelliceam super lumbos suos: locustas autem et mel silvestre edebat (MATH. III, 4; MARC. I, 6). Praenuntius enim Christi non patiebatur immundarum perire exuvias bestiarum: ipso quoque vestitus indicio designans Christum esse venturum, qui belluina, illuvieque contexta pro nostrorum deformitate meritorum, gentilitatis immundae peccata suscipiens, in illo tropaeo crucis, amictu quodam se nostrae carnis exuerat.

303 Quid autem sibi vult cinctus zonae pelliceae, nisi quod caro ista quae mentem prius gravare consueverat, ea post adventum Domini non impedimento coepit esse, sed cingulo? Scilicet iuxta David: *In salicibus... organa nostra suspendimus* (PSAL. CXXXVI, 2); et iuxta Apostolum (PHIL. III, 3) confidentiam non habemus in carne et confidentiam habemus in corpore: non habemus in voluptatibus, habemus in passionibus; quoniam in spiritu fervens vigeat affectus, et ad omne accingamur obsequium coelestium

praceptorum, devotione mentis intenti, atque apparatu corporis expediti.

Cibus quoque propheticus index officii, nuntiusque mysterii est. Quid enim tam otiosum ad hominis officium, quam locustas quaerere: et quid tam plenum ad vatis mysterium? Nam quo magis ad fructum inutiles, ad usum laboris inertes, ad tactum fugaces, vagae saltu, ore stridulae sunt locustae; eo convenientius his populi figura gentilis aptatur, qui nullo usu laboris, nullo operis sui fructu, sine gravitate, sine voce sonum querelae ederet, verbum vitae ignoraret. Hic igitur populus cibus est prophetarum; nam quo numerus maior populi congregatur, eo uberius prophetici oris usus augetur. Ecclesiae quoque gratia praefiguratur in melle silvestri, non intra alvearium legis plebis Iudaicae fetu reperta, sed in campis et foliis silvae gentilium errore diffusa, iuxta quod scriptum est: *Invenimus eam in campis silvae* (PSAL. CXXXI, 6).

Et hic quidem mel silvestre edebat, 305 annuntians populos de petrae melle saturandos, sicut scriptum est: *Et de petra mellis saturavit eos* (PSAL. LXXX, 17). Sic etiam Eliam corvi cibo advectionis, et lucrativo potu inter deserta paverunt (III REG. XVII, 6); ut indicio foret populos nationum tetro squalentes colore meritorum, qui ante cibum foetidis in cadaveribus requirebant, nunc de se advectionem prophetis alimoniam praebituros. Cibus enim prophetarum, divinae voluntatis effectus est, sicut ipse Dominus declaravit dicens: *Meus cibus est, ut faciam voluntatem eius qui me misit* (IOANN. IV, 34).

Vox clamantis in deserto. Bene vox dicitur Ioannes Verbi praenuntius. Nam interrogatus ipse Ioannes: *Quid dicis de te ipso?* ait: *Ego vox clamantis in deserto* (IOANN. I, 22, 23). Et ideo ait: *Qui post*

me venit, ante me factus est (IOANN. 1, 30). quia vox praecedit inferior, verbum sequitur, quod praecellit. Ideo et a Ioanne baptizari voluit; quia in hominibus consecratur voce doctoris. Ideo fortasse Zacharias vocem recepit quia vocem locutus est.

Varia de Adventu ex Grancolas.

(COMMENT. HIST. IN BRIV. ROM., 205).

- 307 **H**EBDOMADA ante Natalem dicitur quotidie ad *Magnificat* Antiphona propria, quae incipit ab interiectione *O*, quasi ad Salvatorem adiurandum, ut ad nos a peccato liberandos venire festinet. Amalaricus de Antiphonis istis agit c. 13 de Ord. Antiph. atque videtur eas pro libitu ad Laudes, vel ad Vesperas recitandi sinere facultatem. In vita Aleuini habetur: *Tertia antequam migraret die solitum exsultationis voce decantavit Antiphonam. O clavis David, et sceptrum Domus Israel.* Videmus quod in Ordinibus Romanis statutum esse, ut ad Laudes, atque ad Vesperas recitentur. *Has Antiphonas, O Sapientia, cum aliis quotidie cantamus ad Benedictus, quas antiphonamus ab in Sanctitate;* repetebatur scilicet Antiphona a vocibus illis in Sanctitate, et versiculus quotidianus erat: *Ostende nobis misericordiam.* Hinc Amalaricus existimabat, cum Canticum *Benedictus* ad Messiam magis referatur, quam *Magnificat*, magis convenire, ut istae antiphonae ad illud recitentur; verum ipse sibi respondet, Antiphonas istas ad B. Virginem potius, quam ad Zachariam spectare, atque ideo ad *Magnificat* additas fuisse.
- 308 In quibusdam Romanis Ordinibus octo *O* reperiuntur, etenim praeter septem quotidianas octava dicebatur: *O Virgo Virginum*, quae in Breviario Pii V. abolita fuit; in quibusdam aliis Ordinibus praeter octo istas habetur: *O Gabriel, o Rex pacificus, o mundi Domina, o Ierusalem;* alloquebantur enim modo Messiam, modo eius Matrem, quae cum parere debebat, vel Angelum, qui eam annuntiaverat, vel Urbem, in qua nasei debebat.
- 309 Apud Amalaricum de Ord. Antiph. c. 14, octo *O* extant; septem scilicet quae adhuc supersunt, et octava *O Virgo Virginum*, quae abolita est. Durandus l. 6, c. 2, aetate sua novem fuisse scribit; praeter enim octo istas alia extabat pro Festo S. Thomae, quod inter hoc temporis intervallum cadit: *O Thoma Didyme*, atque alia: *O Virgo Virginum*, in B. Virginis honorem: *Una de Virgine quae concepit, altera in honorem S. Tho-*

mae cuius Festum tunc accidit. Parisiis anno tantum 1680 duae istae Antiphonae expunctae sunt, quarum loco duae aliae compositae, *O Pastor Israel*, pro vigilia S. Thomae, et *O Sancte Sanctorum*, pro postrema die, semper enim novem recitatae fuerunt, quasi novendialis praeparationis loco ad Natalem Festum; Romae tantum septem supersunt, ubi hebdomada statuta ad Messiam Adventum suspiriis expectandum. Honorius Augustodunensis l. 3, c. 5, septem tantum meminit, eadem ratione atque ordine, quo hodie Romae recitantur. Incipiunt autem Antiphonae istae a variis nominibus, quae Prophetiae Iesu Christo tribuerunt.

In prima *O Sapientia*, Iesus Christus agnoscitur tamquam Patris Sapientia ab eius ore egressa, scilicet ex eius substantia generata; Sapientia appellatur quia per Incarnationem suam rationem invenit nos redimendi, per Sapientiam, Iustitiam, et Misericordiam. Mirabilis est ergo eius Sapientia in consiliis suis, atque in eorum executione.

O Adoni. Apud Hebraeos hoc unum est et divinis nominibus, quod Dominum significat, atque ita Messiam pro eodem Deo habitum, qui populum Israel elegit, qui Iudaeis promissus est, qui Moysi apparuit, ipsique legem tradidit. Graeci *Adoni* verterunt in *Kyrios*, et Latini in *Domini*, quod de hominibus quoque dicitur, veluti in Psalmo: *Constituit eum Dominum domus suae,* cuius loco in Hebraeo exemplari habetur *Adoni.*

O Radix Iesse. Messias et Davidis genere oriri debebat, cui promissus fuerat; ipse erit expectatio gentium, adventique ad duos populos coniungendos, atque salvandos.

O Clavis David. Iesus Christus adventi ad nobis Coelum aperiendum, viamque nobis demonstrandam, qua illuc eius veritatis lumine adituri pervenire possimus. Id ex Isaia sumptum est cap. 22, vers. 22: *Dabo clavem Domus David super humerum eius, et aperiet, et non erit qui claudat, et claudet, et non erit qui aperiat;* atque ex Apocalypsi 3, v. 7: *Huc dicit Sanctus, qui habet clavem David, qui aperit et nemo claudit, claudit et nemo aperit.* Quae plenam Iesu Christi potestatem in Regnum suum, id est Ecclesiam demonstrant, cuius figura erat Regnum Davidis; quo nemo revera pervenire potest, nisi Iesus Christus ei ianuam aperiat, eumque trahat ad se ipsum.

O Oriens. Scilicet Sol est exoriens, qui annuntiat, atque avertit lucem gratiae. *O Rex gentium;* Rex nationum, qui ad eas subiugandas venit, suaeque Redemptionis participes faciendas. *O Emmanuel,* qui idem est ab Isaia pronuntiatus sub eodem nomine, *nobiscum Deus.*

FERIA QUARTA

Homilia Venerabilis Bedae Presbyteri.

LII. I, CAP. 3, IN LUC. 3.

315 **A**NNO autem quintodecimo Imperii Tiberii Caesaris, procurante Pontio Pilato Iudaeam, Tetrarcha autem Galilaeae Herode, Philippo autem fratre eius Tetrarcha Iudaeae et Trachonitidis regionis, et Lysania Abilinae Tetrarcha. Herodes, Philippus, et Lysanias qui cum Pilato praeside Romano Iudaeam regebant, filii sunt Herodis illius sub quo Dominus natus est, inter quos et ipsum Herodem Archelaus frater eorum decem annis regnavit. Qui a Iudaeis ob intolerabilem animi ferocitatem, apud Augustum criminatus, aeterno apud Viennam disperit exilio. Regnum vero Iudaeae quo minus validum feret, idem Augustus per tetrarchias discindere curavit. Porro Pilatus duodecimo anno Tiberii Caesaris in Iudaeam missus procuracionem gentis suscepit, atque inibi per decem continuos annos usque ad ipsum pene finem Tiberii perduravit.

316 *Sub principibus sacerdotum Anna et Caipha, factum est verbum Domini super Ioannem Zachariae filium in deserto.* Ambo quidem incipiente praedicationem Ioanne, id est, Annas et Caiphas principes fuere sacerdotum, sed Annas illum annum, Caiphas vero eum quo Dominus crucem ascendit, ministrabat, et quidem tribus aliis in medio pontificatu perfunctis, verum his maxime qui ad Domini passionem pertinerent, ab Evangelista commemoratis. Legalibus namque tunc praecipuis vi et ambitione cessantibus, nulli pontificatus honor vitae vel generis merito reddebatur, sed Romana potestate aliis nunc, item aliis summa sacerdotii praestabatur. Denique Iosephus refert in hunc modum, dicens: "Valerius

Gratas Anna sacerdoti deturbato, Ismaelem Pontificem designavit filium Baessi. Sed et hunc non multo post abiiciens, Eleazarum Ananiae Pontificis filium pontificatui subrogavit. Post annum vero etiam hunc arect officio, et Simoni cuidam Canysi filio pontificatus tradidit ministerium. Quo non amplius et ipse quam unius anni spatio perfunctus, Iosephum cui et Caiphas nomen fuit, accepit successorem. Ac per hoc omne tempus quo Dominus noster in terris docuisse describitur, intra quadriennii spatia coarctatur. In quo quatuor istae quas Iosephus memorat successiones Pontificum describitur, vix per annos singulos ministratae. Quia ergo Ioannes illum praedicare veniebat, qui et ex Iudaea quondam, et multos ex gentibus redempturus erat, per regem gentium et principes Iudaeorum, praedicationis eius tempora designantur. Quia autem gentilitas colligenda erat, et Iudaea pro culpa perfidiae dispergenda, ipsa quoque descriptio terreni principatus ostendit, quoniam et in Romana republica unus praefuisse describitur, et in Iudaeae regno per quartam partem plurimi principabantur. Voce enim nostri redemptoris dicitur: *Omne regnum in seipso divisum, desolabitur.* Liqueat ergo quod ad finem regni Iudaeae pervenerat, quae tot regibus divisa subiacebat. Apte quoque non solum quibus regibus, sed quibus etiam sacerdotibus actum sit, demonstratur. Ut quia illum Ioannes Baptista praedicaret, qui simul Rex et sacerdos existeret, Lucas Evangelista praedicationis eius tempora per regnum et sacerdotium designavit.

317 *Eo venit in omnem regionem Iordanis, praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum.* Cunctis legentibus liquet quia Ioannes baptismum poenitentiae non solum praedicavit, verum

etiam quibusdam dedit, sed tamen baptismum suum in remissionem peccatorum dare non potuit. Remissio etenim peccatorum, in solo nobis baptismo Christi tribuitur. Notandum itaque quod dicitur, praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum, quoniam baptismum quod peccata solveret, quia dare non poterat, praedicabat. Ut sicut Incarnatum Verbum Patris praecurrebat verbo praedicationis: ita baptismum poenitentiae quo peccata solvuntur praecurreret suo baptismo, quo peccata solvi non possunt.

³¹⁸ *Sicut scriptum est in libro sermonum Isaiae Prophetae, Vox, etc. Idem vero Ioannes Baptista requisitus quis esset, respondit: Ego vox clamantis in deserto: qui ideo vox a Propheta vocatus est, quia verbum praebat: qui etiam in deserto clamat, quia derelictae ac destitutae Iudaeae, solatium redemptionis annunciat. Quid autem clamaret, aperitur cum subditur: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Omnis qui fidem rectam et bona opera praedicat, quid aliud quam venienti Domino ad corda audientium viam parat? Ut haec vis gratiae penetret, et lumen veritatis illustret, ut rectas Deo semitas faciat; dum mundas in animo cogitationes per sermonem bonae praedicationis format.*

³¹⁹ *Omnis vallis implebitur, et omnis mons et collis humiliabitur. Quid hoc loco vallium nomine, nisi humiles: qui montium et collium, nisi superbi homines designantur? In adventu igitur Redemptoris vallis impletae, montes vero et colles humiliati sunt. Quia iuxta eius vocem: Omnis qui se exaltat humiliabitur: et omnis qui se humiliat, exaltabitur. Vallis etenim impleta crescit, mons autem et collis humiliatus decrescit. Quia nimirum in fide mediatoris Dei et hominum, hominis Iesu Christi, et gentilitas ple-*

nitudinem gratiae accepit, et Iudaea per errorem perfidiae, hoc unde tumbat perdidit.

Erunt prava in directa, et aspera in vias planas. Prava in directa fiunt, cum malorum corda per iniustitiam detorta ad iustitiae regulam diriguntur. Et aspera in vias planas immutantur, cum immites atque iracundae mentes, per infusionem supernae gratiae ad lenitatem mansuetudinis redeunt. Quando enim verbum veritatis ab iracunda mente non recipitur, quasi asperitas itineris gressum pergantis repellit. Sed cum mens iracunda per acceptam mansuetudinis gratiam correptionis, vel exhortationis verbum recipit, ibi planam viam praedicator invenit, ubi prius pro asperitate itineris pergere, id est praedicationis gressum ponere non valebat.

Et videbit omnis caro salutare Dni. Quia omnis caro, accipitur omnis homo, salutare Dei videlicet Christum in hac vita omnis homo videre non potuit. Ubi ergo in hac sententia prophetae prophetiae oculum, nisi ad extremi iudicii diem tendit? Ubi cum apertis coelis, ministrantibus angelis, consendentibus Apostolis, in sede maiestatis suae Christus apparuerit, omnes hunc et reprobi pariter videbunt, ut et iusti de munere retributionis sine fine gaudeant et iniusti in ultione supplicii in perpetuum gemant. Nam quia hoc ista sententia intendit, quod in extremo examine ab omni carne videbitur, recte subiungitur: *Dicebat...*

Varia de Adventu, ex Granelos.
(COMMENT. HIST. IN BRV. ROM., 206.)

³²² ANTI-PHONAE istae [*O Sapientia, etc.*] apud Amalariam alter dispositae sunt, eas recentem, uti Metis canebantur; at Honorius Augustodunensis illas eodem ordine refert, quo hodie leguntur, easque septem donis Spiritus sancti ab Isaia c. 27, designatis confert, quae Iesus Chri-

stus per Incarnationem suam nobis communicavit. *O sapientia* donum est Sapientiae. *O Adonai* donum intellectus legis Moysi traditae. *Radix Jesse* donum Consilii, quo tanta molitudo est ad nos redimendos. *Civis David*, donum fortitudinis, quae Infernum clausis, et Coelum aperuit. *Oriens* donum est luminis, veritatis, et scientiae. *Rex gentium* donum pietatis, quo ad Gentiles salvandos permovebatur. *Emmanuel* donum timoris filialis, qui, ut Deum amemus, efficit.

³²³ In pluribus Ordinibus Romanis antiphonae istae incipiunt a Festo S. Nicolai, atque Festo S. Luciae absolvuntur. Honorius Augustodunensis l. 3, c. 5, quarundam Ecclesiarum meminit, ubi duodecim recitabantur ad duodecim Prophetas, qui Messiam praenuntiaverunt designandos: *Si duodecim O cantantur, duodecim Prophetas exprimiuntur.* Eorum, qui septem tantum habent, consilium fuit hebdomadam consecrandi Messiae petendo ad exemplum Ecclesiae Toletanae, quae in decimo suo Concilio anno 656, Festum B. Virginis octo ante Natale diebus celebrabat, atque totis octo diebus perdurare volebat, hoc revera Festum erat Annuntiationis B. Virginis, quod vigesima quinta Martii celebrare solebant propter Quadagesimam, atque 18 Decembris octo signanter ante Natale diebus affixum fuerat. Postquam vero Hispani, ut Romanum morem sequerentur, Festum Annuntiationis 25 Martii celebrarunt, vetus 18 Decembris Festum servaverunt, atque *Expectationem B. Virginis* appellarunt; id est eius partus expectationem: quod alibi dicitur Festum *O Natalis*, seu Festum Expectationis divini partus, et per integram octavam producitur. Haec in Gallia hebdomada de *expectato* vel *exceptato* dicitur, atque ita Mediolani etiam appellatur, finitque vigilia Natalis. In Belgio Festum istud feria quarta quatuor Temporum celebratur; Annuntiationis Missa ante lucis ortum absolvitur, diciturque *Missa aurea*, atque interea mysterium ab Actoribus representatur. Inter Antiphonas *O Romae* abrogatas ea ferenda non erat, *O Thona Dilyne*, quia Messias ab uno ex eius Apostolis petebatur.

FERIA QUINTA

Homilia S. Ioannis Chrysostomi.
IN MATTHEARUM HOM. 10.

³²⁴ **Q**UOD enim Zachariae filius non a semetipso, sed Deo movente ad hoc venerit, id Lucas declarat dicens: *Verbum Domini factum est ad eum* (LUC. III, 2), id est, manda-

tum. Ipse quoque ait: *Qui me misit baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem quasi columbam, et manentem super eum, hic est qui baptizat in Spiritu sancto* (IOANN. I, 33). Cur autem ad baptizandum missus est? Hoc item nobis declarat Baptista: *Ego nesciebam eum; sed ut manifestaretur in Israel, ideo veni in aqua baptizans* (Ibid. 31).

Et si haec sola causa erat, quomodo ait Lucas: *Veni in regionem Iordanis, praedicans baptismum poenitentiae in remissionem peccatorum?* (LUC. III, 3). Quamquam remissionem non habebat, sed hoc donum erat baptismi, qui postea datus est; in hoc enim consensit sumus, et vetus homo noster tunc una crucifixus est, et ante crucem nusquam remissio facta comperitur: ubique enim hoc sanguini eius deputatur. Paulus vero ait: *Sed ubi estis, sed sanctificati estis, non per baptismum Ioannis, sed, in nomine Domini nostri Iesu Christi, et in Spiritu Dei nostri* (I. COR. VI, 11). Et alibi ait: *Ioannes quidem praedicavit baptismum poenitentiae, et non dicit, remissionis, ut crederent in venientem post eum* (ACT. XIX, 4). Cum enim nondum oblatum sacrificium esset, nec Spiritus descendisset, nec peccatum solum esset, nec inimicitia sublata, nec maledictio deleta, quomodo remissio peccatorum facta esset?

Quid est igitur illud: *In remissionem peccatorum?* (MARC. I, 4). Improbri admodum erant Iudaei, nec unquam in peccatorum suorum sensum venerant, sed extremis obnoxii malis, se ubique iustos praedicabant: id quod praesertim ipsos perdidit, et a fide abduxit. Hac de re illos Paulus accusans dicebat: *Ignorantes Dei iustitiam et suam quaerentes statueret, iustitiae Dei non sunt subiecti* (ROM. X, 3). Et rursus: *Quid ergo dicemus? Quod gentes quae non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam: Israel autem sectan-*

do legem iustitiae, in legem iustitiae non per-
venit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex
operibus (ROM. IX, 30-32). Quia igitur haec
causa malorum erat, advenit Ioannes, ni-
hil aliud agens, quam ut illos ad peccato-
rum suorum cognitionem deduceret: id
quod etiam illius habitus ostendebat, qui
utique ad poenitentiam et confessionem
compositus erat. Hoc ipsa quoque praedi-
catio demonstravit. Nihil enim aliud
dicebat, quam: *Facite fructus dignos
poenitentiae* (LUC. III, 8). Quia igitur quod
peccata sua non improbant, et Paulus
declaravit, ideo a Christo resilierunt:
peccata autem in mentem revocare, id
efficit ut redemptor quaeratur, et remis-
sio desideretur: id praeparaturus venit
Ioannes, et hortatur illos ut poeniten-
tiam agerent: non ut punirentur; sed
ut per poenitentiam humiliores effecti,
ac sese ipsos damnantes, ad remissionem
impetrandam accederent. Vide igitur
quam haec diligenter expresserit. Cum
dixisset enim: *Venit praedicans bap-
tismum poenitentiae in deserto Iudaeae*, addi-
dit: *In remissionem* (MARC. I, 4); ac si
diceret: Ideo illos hortatus est ut confi-
terentur et poenitentiam agerent, non
ut punirentur, sed ut facilius postea re-
missionem acciperent. Nisi enim seipsos
damnassent, gratiam non petissent, non
quaerentes vero gratiam, neque remis-
sionem assequuti essent. Itaque hoc bap-
tisma ad illud viam parat: ideo dice-
bat: *Ut credant in eum qui venit post
ipsum* (ACT. XIX, 4); praeter eam quam
diximus, hanc quoque aliam baptismatis
causam addicens. Neque enim perinde
fuisset, si domos circumiisset, et Chri-
stum manu prehensum circumduxisset,
dixissetque. In hunc credit; atque omni-
bus praesentibus ac videntibus, beatam
illam efferi vocem, atque alia omnia per-
fici. Ideo venit ad baptismum. Nam et bap-
tizantis existimatio et rei ipsius con-

ditio, civitatem totam attrahebat, et ad
Iordanem evocabat, magnamque fuit
theatrum. Ideoque eos qui advenierant,
reprimi, suadetque ne magnum quid-
piam de se comminiscantur, ostendens
eos extremorum reos malorum, nisi poe-
nitentiam egerint, missisque maioribus
suis, depulsaque illa, quam inde con-
ceperant, iactantia, eum qui advenerat,
repperint. Etenim obscurata fuerant
interim ea quae ad Christum specta-
bant, et apud multos exstincta videban-
tur esse ob caedem in Bethlehem per-
petratam. Etiam si enim cum duodecim
annorum esset sese exhibuerit, ac cito
in priorem sese obscuritatem deduxit:
ideoque splendidis exordiis et subli-
miore principio opus habebat. Propterea
tunc primum ea, quae nunquam audie-
rant Iudaei; vel a prophetis, vel ab
aliis quibuslibet, illa, inquam, conspi-
cua voce praedicat, coelos et regnum
coelorum commemorans, nihilque de ter-
ra loquens. Regnum autem hic dicit ad-
ventum eius, et priorem, et posteriorem.
Et quid hoc ad Iudaeos, inquires, qui
nesciebant quid diceret? Ideo sic loquor,
inquit ille, ut ditorum obscuritate exci-
tati, veniant ad perquirendum illum qui
praedicatur; ita ut et publicani et mili-
tes interrogent, quid faciendum, et quo-
modo instituenda vita sit: quod signum
erat ipsos; missis saecularibus rebus,
alia maiora respicere, et futura quasi per
somnia imaginari. Etenim cuncta quae
videbant et audiebant, ad sublimium re-
rum sensum erigebant illos.

Cogita igitur quantum id esset homi-
nem videre post annos triginta ex des-
erto venientem, principis sacerdotum
filium, qui nulla umquam rerum terre-
narum egerat; et omni ex parte vene-
randum, qui Isaiaem secum habebat. Aderat
quippe ipsi praedicans et dicens: Hic est quem adventum esse praedixi

clamantem, et in deserto clara voce om-
nia praedicantem. Tantum enim erat
prophetarum circa res istas studium, ut
non modo Dominum suum, sed etiam
eum qui ipsi ministraturus erat, ante
multum temporis praenuntiarent: nec
illum modo, sed etiam locum praedice-
rent, in quo versaturus erat, necnon
praedicationis modum, quo ad docen-
dum usurus erat, et quam praeclarum
hinc opus emersurum esset. Vide ergo
quomodo ad eundem sensum ambo pro-
deant, licet non iisdem verbis utantur,
propheta nempe atque Baptista. Pro-
pheta namque ipsum adfuturum esse
praedicit his verbis: *Parate viam Do-
mini, rectas facite semitas eius* (IS. XL,
3). Ille vero postquam advenit, dicebat:
Facite fructus dignos poenitentiae (MATTH.
III, 8); quod idem significat atque illud:
Parate viam Domini. Videne et per ea
quae propheta dixit, et per ea quae ipse
praedicavit, unum significari, ipsum sci-
licet, et ut praerent, et ut viam pararet,
advenisse, non ut donum largiretur, sci-
licet remissionem, sed ut praepararet
animas eorum, qui universorum Deum
recepturi erant? Lucas vero amplius
quid adiecit; nec satis habuit principium
dumtaxat afferre, sed totam affert pro-
phetiam; nam ait: *Omnis vallis implebitur,
et omnis mons et collis humiliabitur:
et erunt prava in directa, et aspera
in vias planas; et videbit omnis caro salu-
tare Dei* (LUC. III, 5, 6; IS. XL, 4, 5).
Videne quomodo iam olim propheta om-
nia dixit, et populi concursus, et rerum
in melius mutationem, et praedicationis
facilitatem et rerum gerendarum omnium
causam, etsi tropis haec resperserit?
Erat quippe propheta futurorum. Cum
enim ait: *Omnis vallis implebitur, et om-
nis mons et collis humiliabitur; et erunt
aspera in vias planas*: humiles exaltan-
dos, et arrogantes humiliandos esse

praenuntiat, atque legis difficultatem in
fidei facilitatem esse mutandam. Non
ultra, inquit, sudores et labores; sed
gratia et venia delictorum, quae facili-
mam ad salutem viam paret. Deinde
horum causam apponit dicens: *Videbit
omnis caro salutare Dei*: non, ut olim,
Iudaei et proselyti tantum, sed et om-
nis caro et mare, universaque hominum
natura. Per prava enim et tortuosa, vi-
tam quamlibet corruptam subindicavit:
publicanos, fornicatores, latrones, ma-
gos, qui cum perversi prius essent, rec-
ta deinde via processerunt: quod etiam
ipse dicebat: *Publicani et peccatores praec-
cedent vos in regno Dei* (MATTH. XXI, 31),
quia crediderunt. Idipsum aliis verbis
sic indicavit Propheta: *Tunc lupi et agni
simul pascentur* (IS. LXV, 25). Sicut
enim ibi per colles et valles inaequali-
tatem morum in unam philosophiae ae-
qualitatem commiseri dixit: ita et hic
quoque, per brutorum diversam naturam
varios hominum mores indicans, rursus
eos in unum pietatis concentum iungi
declaravit: et hic rursus causam addi-
cens ait: *Eril qui consurget imperare
gentibus, et in ipsum gentes sperabunt* (IS.
XL, 10). Quod ipsum ibi quoque dixit:
Videbit omnis caro salutare Dei: ubi-
que ostendens evangeliorum virtutem
ac notitiam ad usque fines terrae dif-
fundendam esse, quae a ferinis mori-
bus animisque asperis, in mansuetam
et mitem indolem genus hominum trans-
mutabit. *Hic autem Ioannes habebat ve-
stimentum suum de pilis cameli, et zonam
pelliceam circa lumbos suos*. Videne alia
Prophetas praedixisse, alia Evangelistis
reliquisse narranda? Quapropter Mat-
thaeus et prophetias affert, et sua ad-
dit: neque extra rem putavit de iusti
vestibus loqui.

Varia de Adventu, ex Grancolas.

(COMMENT. IN HEV. ROM., 207.)

327 **P**ARISIS, Cabillone, atque in aliis Ecclesiis *O* dicebantur post Vesperas in Capitulo, vel in refectorio, quo Processionis ritu se conferebant, cantabantque tria Responsoria *Misus est*, et duo alia, atque inde *O*, duoque cerei accendebantur, qui Clero praeferebantur, eique in rostru lumen praebant, atque interea maior campana pulsabatur. Eodem tempore collato Clero dabatur, unde intelligimus, Canonicos tunc ieiunasse, atque in commune vixisse, et comedisse. Proecedente vero tempore cum nonnulli abusus irrepissent, collatio ista abrogata fuit, statutumque, ut *O* in Choro caneretur. Parisiis anno 1545 decretum fuit, ut collatio illa in pecuniam converteretur; verum id nonnisi ab anno 1639 praestitum. Ex hac caeremonia illud Parisiis superest, quod in Urbis Parochiis campana pulsetur, dum canitur *Magnificat* Antiphonae *O*; quod signum erat ad eos, qui adessee volebant, admonendos; in Cathedrali vero abolitum fuit, postquam *O* in choro cantari coepit; signum vero, quod post *Magnificat* editur, pro completorio est, quomodo singulis anni diebus edi solet. Parisiis, non secus ac in plurius aliis Ecclesiis collatio ista solo vini calice constabat, quod in vas aliquod versabatur pro illo, qui cantabat *O*, qui primus bibebat, atque post eum ordine ceteri omnes de choro. Antiphonae istae quotidie a dignitate aliqua annuntiabantur; prima die Decanus praecinebat *O Sapientia*, atque deinde reliqui ceteris diebus. Antiphonae istae bis tantum dicuntur iuxta Romanum Ritum ante et post *Magnificat*, veluti ad Festa duplicia solemus; verum Parisiis, atque in aliis Ecclesiis ter repetuntur, ante Canticum, ante *Gloria Patri*, atque ad finem sicut erat; quod in ordinariis appellatur *triumphare*: *Triumphabantur Antiphonae*: ad innuendum quod ter repetebantur.

FERIA SEXTA

Homilia S. Ioannis Chrysostomi.

IN MATTHAEUM ROM. 10.

328 **R**AT quippe res mira et stupenda in humano corpore tantam videre tolerantiam: quod certe Iudaeis magis attrahebat, qui magnum Eliam in ipso respiciebant, et ex iis quae tunc videbantur, beati illius viri

memoriam revocabant; imo in maiorem rapiebantur admirationem. Ille namque in urbibus et in domibus alearatur, hic autem ab incunabilis toto tempore in deserto versatus est. Oportebat enim praecursorem illius, qui vetera omnia soluturus erat, nempe laborem, maledictionem, dolorem atque sudorem, quaedam habere symbola huiusmodi doni, et damnatione illa superiore esse. Itaque nec terram aravit, neque sulcos dissecuit, non in sudore vultus panem comedit, sed facile parabilis erat mensa eius, et mensa facilius amictus, et habitaculum facilius amictu. Neque enim tecto, vel lecto, vel mensa, vel aliquo simili opus habuit; sed angelicam quamdam vitam in hac carne exhibuit. Ideo vestimentum ipsius ex pilis camelorum concinnatum erat, ut ex habitu non institueret, ut ab humanis absisteremus, ac nihil cum terra commune haberemus; sed ad pristinam nobilitatem reverteremur, in qua degebat Adam, antequam vestimentis et amictu egeret. Sic et regni et poenitentiae vestis huiusmodi symbolum prae se ferebat. Nec mihi dicas: Unde illi cilicina vestis et zona, in deserto habitanti? Nam si ea de re quaestionem movcas, alia quoque multa quaerere poteris: quomodo in hieme, quomodo in aestu in solitudine versabatur, maxime in tenero corpore et immatura aetate: quomodo potuit puerilis carnis natura versari in tanta acris inaequalitate, cum tam singulari mensa, et ceteris vastae solitudinis miseris. Ubi nunc sunt Graecorum philosophi, qui frustra Cynicam impudentiam sectati sunt? (quid enim opus erat sese in dolo includere, et tali deinde lascivia uti?) qui annulis, phialis, famulis, ancillis, et reliqua pompa instructi erant, et in utrumque excessum prolapsi sunt? At hic talis non erat; sed desertum quasi

coelum habitavit, accurate philosophiam omnem exhibens: indeque ceu quis angelus de coelo in urbes descendit, athleta pietatis, coronatus in orbe, et philosophus illa philosophia quae coelis digna esset. Haec porro erant, cum nondum solutum peccatum esset, cum nondum lex cessaret, morte nondum vincata, portis aereis nondum confractis, sed vigente adhuc veteri vivendi genere. Talis utique est fortis vigilque animus: nam ubique proslit, positasque metas transcurrit, quemadmodum et Paulus in Novi Testamenti observatione faciebat. Sed cur, iniquus, cum vestimento etiam zona utebatur? Id in more erat apud veteres, priusquam molle hoc et diffuens vestimenti genus induceretur. Sic itaque et Petrus et Paulus cincti inveniuntur: nam, *Virum*, inquit, *cuius haec zona est* (ACT. XXI, 11). Elias quoque sic vestitus erat, sic sanctorum singuli, quod sive in iugi opere versarentur, sive iter agerent, sive aliam quamvis rem necessariam cum labore curarent; nec ea de causa tantum, sed quod etiam ornatum omnem calearent, et austeriae vitae rationi studerent: quod ipsum magnum virtutis encomium esse Christus dicit his verbis: *Quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt* (LUC. VII, 25).

329 Si porro ille ita purus, et coelo ipso splendidior, prophetis omnibus dignior, quae maior fuit nemo, qui tantam habuit fiduciam, tam aspere vixit, diffluentem voluptatem tantopere despiciens, tam duram agens vitam: quam excusationem habebimus, qui post tanta beneficia, sexcentis peccatorum sarcinis onusti, ne minimam quidem partem poenitentiae illius exhibeamus, sed ebrietati et ventri dediti simus, unguentis fragrantes, nec meliores theatralibus illis meretricibus, undique mollietate nos dedentes, diabolo

captu faciles nos praebemus? *Tunc exibat ad cum omnis Iudaea, et Ierosolyma, et omnis regio Iordanis, et baptizabantur ab eo in Iordani, confitentes peccata sua.* Videne quantum prophetae praesentia valuit? quomodo totum populum excitavit? quomodo effecit ut peccata in memoriam revocarent? Nam admiratione dignum erat, videre illum in humano habitu talia exhibentem, et tanta utentem dicendi libertate, atque adversus omnes quasi contra pueros insurgentem, multaque in vultu gratia fulgentem. Ad stuporem conferebat quod post multum temporis propheta apereret; nam haec gratia apud illos defecerat, et post diuturnum tempus reversa est. Praedicationis autem modus, novus et singularis erat. Nihil quippe consuetorum audiebant; futura nempe bella et praelia victoriasque terrenas, fames et pestes, Babylonios, Persas, urbis excidium et alia quae solebant; sed coelos et coeleste regnum, gehennaeque supplicium. Propterea quamquam rebelles illi cui cum Iuda et Theuda in deserto fuerant, non multo ante tempore trucidati fuissent, non ideo segnius eo se contulerunt. Non enim ad easdem res perpetrandas ipsos convocabat, ad tyrannidem scilicet, ad defectionem, ad res novandas; sed ut ad supernum regnum deduceret. Ideoque non detinuit secum in deserto, neque circumduxit, sed baptizatis et philosophiae sermonibus instructos dimisit: per omnia docens terrena despiciere, et ad futura tendere, ac quotidie sese concitare. Hunc et nos imitemur, ac cibis ebrietateque dimissis, ad arctam vitam nos transferamus. Nam confessionis tempus est non initiatis et baptizatis: his quidem, ut post poenitentiam peractam ad sacra veniant mysteria; illis vero ut abluti quas post baptismum contraxerit maculis, pura conscientia ad mensam accedant. Absce-

damus igitur ab hac molli dissolutaque vita. Non possunt enim, non possunt utique una subsistere confessio et delicia: et haec vos doceat Ioannes a vestimento, a cibo, a domo. Quid igitur inquires: itane arctam iubes nos ducere vitam? Non iubeo, sed suadeo et hortor. Quod si id facere non potestis, saltem in civitatibus degentes poenitentiam exhibeamus; nam iudicium est in ianuis: etiamsi vero remotius esset, ne sic quidem securius agere oporteret. Nam finis vitae singulorum eandem viam erga quemque habet, quam consummatio saeculi. Quod autem in ianuis sit, audi Paulum dicentem: *Nox praecessit, dies autem appropinquavit* (ROM. XIII, 12): ac rursus: *Qui venturus est, veniet, et non tardabit* (HEBR. X, 37). Etenim signa iam impleta sunt ea quae diem illam evocant. Nam ait: *Praedicabitur hoc Evangelium regni in universo mundo in testimonium omnibus gentibus: et tunc veniet consummatio* (MATTH. XXIV, 14).

Varia de Adventu, ex S. Bonaventura.
(DOMINICA IV. ADVENTUS, SERMO VIII.)

³³⁰ **V**IDEBIT omnis caro salutare Dei, Lucae tertio. Quadruplex est visio Dei. Prima est in mundi creatura; secunda est in humana natura assumpta; tertia in humana conscientia; quarta in sua essentia. Prima visio est ut umbra in signo; secunda, ut sol in vitro; tertia, ut imago in speculo; quarta, sicut species in aperto.

³³¹ I. Videtur ergo Deus primo in mundi creatura, in qua et per quam origo rerum per creationem, distinctionem et ornatum et magnitudinem potentiae immensitatem eius clamat; ad Romanos primo: *Invisibilia enim ipsius a creatura mundi per ea quae facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque eius virtus et Divinitas, etc.*; Psalmus: *Venite et videte opera Domini, quae posuit prodigia super terram. — Multitudo, pulcritudo incomprehensibilem sapientiam declarat; Sapientiae decimo tertio: A magnitudine enim speciei et creaturae cognoscibiliter poterit Creator horum videri. — Plurimodo et operatio et ordo et utilitas inextermi-*

nabilem bonitatem praedicat; Ecclesiastici quadragésimo tertio: *Vide arcum et boudic eum qui fecit illum.*

³³² II. Secundo, in humana natura assumpta, et ista visione visus est a Patriarchis figuratim cum desiderio; Exodi tertio: *Vadam et video visionem hanc nunquam, quare non comburatur rubus.* — Ab Apostolis praesentialiter cum gaudio; Ioannis primo: *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Unigeniti a Patre, plenum gratiae et veritatis.* — A nobis speculariter cum merito; primae ad Corinthios decimo tertio: *Videmus nunc per speculum in aenigmate.* — A Beatis perspicaciter cum praecio; Isaiae trigésimo tertio: *Regem in decore suo videbunt oculi eius.*

³³³ III. Tertio, in humana conscientia, et ista visione videtur trifurmiter, scilicet per industriam rationis et fidei assensum; Lucae decimo: *Beati oculi, qui vident quae vos videtis.* — Per cordis munditiam et intellectus donum; Matthaei quinto: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* — Per fervens desiderium et sapientiae gustum; Psalmus: *Gustate et videte, quoniam suavis est Dominus.*

³³⁴ IV. Quarto, in sua essentia, et hac visione videtur trifurmiter, scilicet praedare et manifeste; primae Ioannis tertio: *Videbitis eum, sicuti est.* — Iucunde et gloriose; Isaiae ultimo: *Videbitis, et gaudebit cor vestrum.* — Perpetuo et sine fine; Ioannis decimo sexto: *Ierum autem video vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium nemo tollet a vobis.*

IN VIGILIA
NATIVITATIS DOMINI

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM MATTHAEUM.
Matth. I, 18-21.

CUM esset desponsata mater eius Maria Ioseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.

19. Ioseph autem vir eius, cum esset iustus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.
20. Haec autem eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit in somnis ei, dicens: Ioseph fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.

21. Pariet autem filium: et vocabis nomen eius IESUM: ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.

Homilia S. Hieronymi Presbyteri.

COMMENT. IN EVANG. MATTH., L. I, CAP. I.

³³⁵ **C**HRISTI autem generatio sic erat. Quaecrat diligens lector et dicat: Cum Ioseph non sit pater Domini Salvatoris, quid pertinet ad Dominum generationis ordo deductus usque

ad Ioseph? Cui respondebimus primum, non esse consuetudinis Scripturarum, ut mulierum in generationibus ordo texatur. Deinde ex una tribu fuisse Ioseph et Mariam: unde ex Lege eam accipere cogebatur ut propinquam, et quod simul censeretur in Bethlehem, ut de una videret stirpe generati. *Cum esset desponsata mater eius Maria Ioseph.* Quare non de simplici Virgine, sed de desponsata concipitur? Primum, ut per generationem Ioseph, origo Mariae monstraretur. Secundo, ne lapidaretur a Iudaeis ut adultera. Tertio, ut in Aegyptum fugiens haberet solatium mariti. Martyr Ignatius etiam quartam addidit causam, cur a desponsata conceptus sit: ut partus, iniquis, eius celaretur diabolo, dum eum putat non de Virgine, sed de uxore generatum. *Antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Non ab alio inventa est nisi a Ioseph, qui bene licentia maritali futurae uxoris omnia noverat. Quod autem dicitur, *Antequam convenirent*: non sequitur, ut postea convenirent; sed Scriptura quod factum non sit, ostendit.

³³⁶ *Ioseph autem vir eius cum esset iustus, et nollet eam traducere, voluit occulte dimittere eam.* Haec autem eo cogitante, ecce angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens. Si quis fornicariae coniungitur, unum corpus efficitur (I COR. VI, 16). Et in lege praeceptum est, non solum reos, sed et conscios criminum obnoxios esse peccati (LEVIT. V); quomodo Ioseph cum crimine celet uxoris, iustus scribitur? Sed hoc testimonium Mariae est, quod Ioseph sciens illius castitatem, et admirans quod egenerat, celat silentio, cuius mysterium nesciebat. *Ioseph, fili David, noli timere accipere Mariam conjugem tuam. Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.*

³³⁷ *Pariet autem filium.* Iam et supra di-

ximus sponsas uxores appellari, quod plenius liber adversus Helvidium docet: et blandientis affectu et per somnium angelus loquitur, ut iustitiam silentii comprobaret. Simulque notandum, quod Ioseph filius esse dicitur David, ut Maria quoque de stirpe David monstraretur. *Et vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum.* Iesus Hebraico sermone *Salvator* dicitur. Etymologiam ergo nominis eius Evangelista signavit, dicens: *Vocabis nomen eius Iesum*; quia ipse salvum faciet populum suum.

³³⁸ *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, et pariet filium, et vocabitur nomen eius Emmanuel, quod est interpretatum: Nobiscum Deus. Exurgens autem Ioseph a somno, fecit sicut praecipit ei angelus Domini.* Pro eo quod evangelista Matthaeus dicit, *in utero habebit*, in Propheta scriptum est, *in utero accipiet* (IS. VII, 14). Sed Propheta, quia futura praedicit, significat quid futurum sit, et scribit, *accipiet*: Evangelista autem, quia non de futuro, sed de praeterito narrat historiam, mutavit *accipiet*, et posuit *habebit*. Qui enim habet, nequaquam accepturus est. Tale quid et in Psalmis legitimus: *Ascendens in excelsum, captivam duxit captivitatem; accepit dona in hominibus* (PSAL. LXVII, 19). Hoc testimonium Apostolus ponens, non dixit, *accepit, sed dedit* (EPHES. IV, 8): quia ibi de futuro significatum est, quod accepturus esset: hic de eo narrat historia, qui iam dederat quod acceperat.

³³⁹ *Et accepit conjugem suam, et non cognovit eam, donec peperit filium suum primogenitum: et vocavit nomen eius Iesum.* Ex hoc loco quidam perversissime suspicantur, et alios filios habuisse Mariam, dicentes primogenitum non dici, nisi qui

habeat et fratres: cum hic mos sit divinarum Scripturarum, ut primogenitum non eum vocent, quem fratres sequuntur, sed eum qui primus natus sit. Lege supradictum libellum adversus Helvidium.

Varia de Vigilia Nativit. Domini, ex Benedicto XIV.
[DE FESTIS DOMINI, LIB. I, CAP. XVII, N. 55-56.]

340 **R**UDEM profecto et omnino sacrarum rerum expertem esse cum oportet, qui nesciat Pervigilia conventus fuisse fidelium nocturnos ad Deum deprecandum. Eos conventus Plinius commemorat epistola ad Traianum, in qua mores describit Christianorum: *Quod soliti essent stato die ante lucem convenire, carmenque Christo tanquam Deo dicere:* atque eo alludit Tertullianus libro ad uxorem capit. 4 ubi exponens, quam impedita esset fidelis mulier, quae infideli nupsisset viro, ait: *Quis (vir infidelis) nocturnis convocacionibus, si ita oportuerit, a latere suo abscedere coniugem suam libenter feret?*

341 Sancti Natalis Pervigilium inter cetera semper fuit percelebre, et cum icinio coniunctum. *Ea fuit Ecclesiae pia consuetudo, ut praecipuus Solemnitates, Sanctorumque Festivitates Vigiliis praesentaret, inter quas cum non infimum locum semper obtinuerit Nativitas Domini nostri Iesu Christi secundum carnem, suam etiam ab initio Vigiliam*



habuisse minime ambigimus, quam cum icinio celebratam fuisse dicimus ex S. Augustini epistola 65, novae edit. ad Xantippum. Verba sunt Martene. tom. 4, vet. edit. cap. 2, num. 1. Hac accedit quod scripsit S. Caesarius in Regula ad Virgines: Natali Domini, et Epiphania ab hora tertia noctis usque ad lucem vigilandum est. Narrat S. Gregorius Turonensis, De gloria Martyrum, cap. 87, in Natalis Pervigilio Episcopalis Officii obconditis fessum se ad paullulum somni capiendum secessisse; hominem sibi incognitum adstitisse in somnis, seque semel atque iterum excitasse; cumque nihilominus in somnum esset relapsus, hominem illum ei alapam imegissc, atque in hunc modum eum increpasse: Ita ne vero tu dormis, cuius est curare ut ceteri vigilent? quae causa fuerit, ut statim ad templum redierit. Gravissimis causis permota Ecclesia, ut scandala plura tollerentur, nocturnos agitari conventus vultit; nocturnaque pervigilia hoc tempore dumtaxat Monachae, et alia quaedam Religiosorum Collegia celebrant, quod observat Ferdinandus Mendoza lib. 3, De confirmando Concilio Illiberitano in Notis ad Can. 36, tom. 1, Concil. Collect. Labbaenae, pag. 1227. Verum ex eo interdicto Pervigilium Natalis Domini eximitur, quod non modo icinio, sed ex veteri consuetudine etiam nocturnis conventibus in Ecclesiis, cantandisque Officiis, et post mediam noctem Sacrificio peragendo celebratur. De ea disciplina fuse disserimus Institut. 13. Videat Florentinus Exer. 2, in qua de veterum vigilarum usu, ac de Pervigilio Nat. Chr. Dom. erudite disputat.



IN NATIVITATE DOMINI

LECTIO SANCTI EVANGELII SECUNDUM LUCAM.
Luc. II, 1-14.

In illo tempore: Exiit edictum a Caesare Augusto, ut describeretur universus orbis.

1. Haec descriptio prima facta est a praeside Syriae Cyrino:

2. et habitant omnes, ut profiterentur singuli in suam civitatem.

3. Ascendit autem et Ioseph a Galilaea de civitate Nazareth, in Iudaeam in civitatem David, quae vocatur Bethlechem: eo quod esset de domo et familia David,

4. ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore praegnante.

5. Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies ut pareret.

6. Et peperit filium suum primogenitum, et panis cum involvit, et reclinavit eum in praesepio: quia non erat eis locus in diversorio.

7. Et pastores erant in regione eadem vigilantes, et custodientes vigilias noctis super gregem suum.

8. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, et claritas Dei circumfulsit illos, et timebant timore magno.

9. Et dixit illis Angelus: Nolite timere: ecce enim evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo:

10. quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David.

11. Et hoc vobis signum: Invenietis infantem panis involutum, et positum in praesepio.

12. Et subito facta est cum Angelo multitudo militum caelestium, laudantium Deum, et dicentium:

13. Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.

Homilia S. Gregorii Papae.

HOMILIA VIII. IN EVANGELIA. *Habita ad populum in basilica beatae Mariae Virginis die Natalis Domini.*

QUIA, largiente Domino, missarum 342
solemnia ter hodie celebraturi sumus, loqui diu de evangelica lectione non possumus. Sed nos aliquid vel breviter dicere Redemptoris nostri nativitas ipsa compellit. Quid est quod nascituro Domino mundus describitur, nisi hoc quod aperte monstratur, quia ille veniebat in carne, qui electos suos adscriberet in aeternitate? Quo contra de reprobis per Prophetam dicitur: *Deleantur de libro viventium, et cum iustis non scribantur* (PSAL. LXVIII, 29). Qui bene etiam in Bethlechem nascitur: Bethlechem quippe domus panis interpretatur. Ipse namque est, qui ait: *Ego sum panis vivus, qui de coelo descendi* (IOANN. VI, 41, 52). Locus ergo in quo Dominus nascitur, domus panis antea vocatus est, quia futurum profecto erat ut ille ibi per ma-